



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulvm I. eodem Titulo in sexto. Suscepti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

CAPITVLVM I.

eodem Titulo in sexto.

Suscepti.

PARAPHRASIS.

Præfatur Clemens III. susceptum curæ pastoralis officium exposcere, ut ob animarum salutem nova quandoque jura edat, aut vetera renovet: cum itaque per Sedem Apostolicam in *c. de Monachis 12. hoc. iii.* statutum fuerit, ut Episcopi neminem à Religiosis præsentatum Clericum, ad Ecclesiam parochialem recipiant, nisi tantam ejus reddituum portionem coram ipsis assignent, ut inde jura Episcopalia solvere, & congruam sustentationem habere possit: at verò regulares quidam exempti, quibus jus competit præsentandi, ad Ecclesias parochiales, tantos inde redditus percipiant, ut ex residuo Presbyter commodè sustentari, & jura Episcopo solvere, aliæque onera præstare non possit, idcirco contingere soleat, ut personæ idoneæ non reperiantur, quæ hujusmodi Ecclesias recipere velint, atque minùs idoneis personis conferri debeant, cum animarum periculo; huic rei remedium afferre volens Papa, suprà dictam constitutionem *c. de Monachis* ab omnibus tam exemptis, quàm non exemptis Religiosis, aliisque patronis Ecclesiarum Parochialium observandam esse statuit, contrariâ consuetudine non obstante.

SUMMARIUM.

1. Priùs quàm admittatur ab Episcopo præsentatus, debet Patronus tunc, si redditus Ecclesia habeat, portionem congruam designasse præsentato.
2. Neque potest ulla consuetudine introduci, ut redditus Ecclesia in defectu congruæ sustentationis pro beneficiato alius percipiat.

Notandum primò. Diæcesanus Episcopus non debet præsentatum ad be-

neficium *ca. i.* instituere, imò nec præsentationem admittere, nisi priùs Patronus præsentans, si is Ecclesie redditus percipere soleat, congruam portionem designarit; idemque dicendum, si Parochus aliò discessurus, vel religionem ingressurus, Vicarium Episcopo statuat, quòd eum priùs approbare non debet, quàm congrua portio designata sit.

Notandum secundò. Nullâ consuetudine introduci potest, ut redditus parochiales aliò deriverentur, & Presbytero curato sustentatio sufficiens non præbeatur; id enim Ecclesijs noxium est, atque juri naturali, ac divino repugnat, si is, qui altari servit, de altari non vivat.

CAPITVLVM II.

Licet.

PARAPHRASIS.

plena dispositio de Ecclesijs, dignitatibus, personatibus, & aliis omnibus Ecclesiasticis beneficiis ad Romanum Pontificem spectat, quam ob rem non solùm ea, cum vacant, de jure conferre potest, sed etiam in vacaturis jus expectativæ tribuere. Veruntamen collatio Ecclesiarum, personatum, dignitatum, & beneficiorum apud Sedem Apostolicam vacantium, ex antiqua consuetudine Romano Pontifici specialiùs reservata est. Hanc itaque reservationem beneficiorum, in curia Romana vacantium, confirmare volens Clemens III. decernit, ut Ecclesiæ, dignitates, personatus, & beneficia, quæ in curia, seu apud Sedem Apostolicam, in posterum vacaverint, præter Pontificem Romanum, ab alio nemine quacunque autoritate, seu conferendi potestate munitus sit, sive ex jure ordinario eligendi, conferendi, aut providendi, sive ex literis ipsi super provisione facienda destinatis, seu ex generalibus, seu specialibus, aut sub quacunque verborum forma conceptæ sint (præterquam si specialis & expressa facultas de

Q

con-